



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Cadauera impiorum à canibus lacerata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

providentiæ oculus, martyris sui existimationem tam fœdè la-
cerari. Altera enim die ab eius cæde, cum Rex & impij crude-
litatis eius administri existimarent, iam corpus omne à canibus
aibusque deuoratum, à quatuor mundi partibus totidem raræ
formæ ac magnitudinis aquilæ aduolarunt, & sollicito studio
loca, in quibus dissipata jacebant fortissimi Præfulis membra,
per aërem, in orbem circumibant, & velut à D. o constituti cu-
stodes non sinebant ea ab vllis vel feris, vel volucris attingi.
A quo miraculo homines admoniti, ac præsertim viri religiosi
accurrerunt, & dispersas hinc inde sanctissimi corporis partes,
magñâ diligentia reuerentiæque, collegerunt, nouo prodigijs
recreati. Nam membra illa ita collecta diuinitus rursus in cor-
pus vnum coierunt; vt, qui integerrimè vixerat, mortuus quo-
que integer sepeliretur. Ita Deus excogitatam martyris sui
ignominiam in gloriam vertit.

Quòd si canes, ab hominibus inter homines educati, pu-
tantur assuescere humanitati, atque ea propter S. Anastasio pe-
percisse; si aquilæ ad S. Stanislai cadauer odore attractæ aduoli-
tasse, juxta illud: *Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur &*
aquilæ; illud memoriâ recolendum est: *Qui mortui fuerint de*
Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint
in agro, vorabunt eos aues cali, quia Dominus locutus est: Item, Qui
mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes; & qui mor-
tuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cali. Rursusque:
Sed & de Iezabel locutus est Dominus dicens: Canes comedent Iez-
abel in agro Iezabel; & vt alibi additur: Neq. erit, qui sepeliat eam.
Quamuis enim Iehu, qui eam iusserat præcipitari, postea dixe-
rit: *Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam: quia filia Regis*
est, tamen cum essent, vt sepelirent eam, non inuenerunt, nisi caluariam,
& pedes, & summâs manus. Si istis deuorandis canes non absti-
nuerunt, cur canes Anastasio, & aquilæ, quæ sunt vulturium
genus, & cadaueribus diripiendis assuetæ, Stanislao abstinaue-
runt? Numquid is, qui obturauit ora leonum, ne Daniele. *Daniel, 6. 22.*
inuaderent, conclusit etiam tunc ora canum, & aquilarum?
immò & leonum ipsorum? quibus quid est inhumanius, aut
immanius? & tamen leguntur etiam aliorum Sanctorum cor-
poribus abstinuisse, immò eos sepelisse.

X.

Matth. 24. 28.

3. Reg. 14. 11.

3. Reg. 16. 43

3. Reg. 21. 23.

4. Reg. 9. 10.

4. Reg. 9. 34.

Daniel, 6. 22.

Memo-